

iudiciariae potestatis gratia Dei accepi[m]us^a. A quo, sicut scriptum est¹, qui se elongant peribunt. Qui etiam alienae obligationis potestatem relaxationis principatum superni iudicii sortientes acceperant. Et facientes contra regulas spiritu sancto promulgatas, qui per manus impositionem ordinandis celitus datur, ab eisdem regulis iudicati de gradu ordinationis iudicio eiusdem spiritus sancti per eos, qui in gradu suo stare videntur et ministri sunt sermonis, deiciuntur. Sicut et Iudas de apostolatus culmine iniquitate sua deiectus et inter apostatas numeratus, veluti Petrus dicit, abiit in locum suum². Quibus etsi ministratio tollitur, digne tamen satisfaciendis salutis æternæ participatio non negatur.

26. Deiectis autem a gradu iudicio sancti spiritus, sicut Petrus et Iudam deiectum fuisse dicit, 'viri', inquit³; 'fratres, oportet impleri scripturam, quam praedixit spiritus sanctus per os David de Iuda' — quo spiritu, sicut Leo demonstrat⁴, et^b sacri promulgati sunt canones, quorum iudicio iudicandi deiciuntur — alii in eorum locum de presbiteris, qui vices septuaginta discipulorum in ecclesia tenent^c, de quibus, sic[ut]^d Clemens Alexandrinus scribit⁵, duo ab apostolis sunt electi et sorte monstra[ti] quadam scilicet manifestatione gratiæ, quae et super gentiles loquente ad eos Petr[o] etiam ante baptismum effusione sancti spiritus declarata est. De qua, sicut scriptum est⁶, 'obstupuerunt ex circumc[i]sione fideles, qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia spiritus sancti effusa est'. Mathias in l[oco] Iudae est ordinatus sorte, quae est regularis electio, collecto fratrum coetu et precibu[s] ad Deum fuis, sicut et in apostolorum actibus legitur⁷, per caritatem, quae diffunditur in elige[n]tium cordibus per spiritum sanctum, qui eis donatur, ut in electione unum velle et unum nolle secundum *cor Domini habeant et in electos omnium vota con- *f. 30. cordent. Ad episcopatus ordinem per civitates singulas singuli adsumuntur et per orationem et manus impositionem eorum, qui in ordine persistunt, ordinantur. Et notandum, quia, sicut et Dominus novum mox [i]nstituturus^e vetus, id est legale, pascha prius

^a) m infolge Loches verloren.

^b) Übergeschrieben.

^c) Zu ergänzen wohl etwa subrogantur.

^d) Zeilenenden hier und im folgenden vielfach nicht mehr erkennbar.

^e) Zeilenanfang nicht erkennbar.

¹) Vgl. Ps. 72, 27.

²) Vgl. Act. 1, 25.

³) Act. 1, 16.

⁴) Vgl.

MIGNE 67, 293 c. 32 (J-K. 411): — — canones spiritu Dei conditos — —.

⁵) Vgl. Rufin. hist. eccles. I, 12, Griech. christl. Schriftsteller, Eusebius 2, 1 S. 83.

⁶) Act. 10, 45.

⁷) Act. 1, 26.